Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8446
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

aut infirma. Et iterum abiens
oravit eundem sermonem dicens.
Et reversus denuo: invenit eos
dormientes. Erant enim oculi eorum
gravati; et ignorabant quid respon
derent ei. Et venit tercio: et ait ill(is).
Dormite iam et requiescite.
Sufficit: venit hora, ecce tradetur
filius hominis in manus peccatorum.
Surgite eamus: ecce qui me
tradet prope est. Et adhuc eo lo
quente venit iudas scarioth v
nus de duodecim; et cum eo turba
multa cum gladiis et lignis mis
si a summis sacerdotibus et scribis
et a senioribus. Dederat autem eis
traditor signum dicens. Quemcumque
osculatus fuero: ipse est tenete
eum et ducite caute. Et cum venis
set statim accedens ad eum ait.
Ave rabbi. Et osculatus est eum.
At illi manus iniecerunt in eum.
et tenuerunt eum. Unus autem de
circumstantibus educens gladium
percussit servum summi sacerdotis.
et amputavit illi auriculam.
Et respondens ihesus ait illis. Tamquam
ad latronem existis cum gladiis
et lignis comprehendere me: cotti
die apud vos eram in templo
docens. et non me tenuistis. sed
ut impleantur scripture. Tunc
discipuli eius relinquentes eum
omnes fugerunt. Adolescens autem
quidam sequebatur eum amictus
syndone super nudo: et tenuerunt
eum. At ille relicta syndone nu
dus profugit ab eis. Et adduxe
runt ihesum ad summum sacerdotem;
et convenerunt omnes sacerdotes
et scribe et seniores. Petrus autem
a longe secutus est eum usque in
tro in atrium summi sacerdotis et
sedebat cum ministris et calefacie
bat se ad ignem. Summi vero sa
cerdotes et omne concilium quere
bant adversus ihesum testimonium ut
eum morti traderent. nec invenie
bant. Multi enim testimonium falsum
dicebant adversus eum: et convenien
cia testimonia non erant. Et qui
dam surgentes falsum testimonium fe
rebant adversus eum dicentes. Quoniam
nos audivimus eum dicentem.
Ego dissolvam templum hoc
manufactum: et post triduum a
liud non manufactum edificabo.
Et non erat conveniens testimonium
illorum. Et exurgens summus sacer
dos in medium: interrogavit ihesum
dicens. Non respondes quicquam ad ea
que tibi obiciuntur ab his. Ille
vero tacebat: et nichil respondit.
Rursum summus sacerdos interro
gabat eum. et dixit ei. Tu es christus
filius dei benedicti. Ihesus autem
dixit ei. Ego sum. Et videbitis
filium hominis sedentem a dextris vir
tutis dei: et venientem in nubibus
celi. Summus autem sacerdos scin
dens vestimenta sua et ait. Quid
adhuc egemus testibus. Audi
stis blasphemiam. Quid vobis
videtur. Qui omnes condempnaverunt